

IO. GEORGII IOCHII
THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
SENAT. ECCLESIAST. ASSESSOR. TEMPLI OO. SS.
PRAEPOS. SVI QVE IAM ORDINIS
DECANI

PROGRAMMA
DE
SPIRITV PRECVM
QVO
AD DIGNAM FESTI PENTE
COSTALIS CELEBRATIONEM
STVDIOSAM IVENTVTEM
IN ACADÉMIA VVITTENBERGENSI
PVBLICO NOMINE COHORTATVR

VVITTENBERGAE
EX OFFICINA CHRISTIANI ZIMMERMANNI, ACAD. TYP.
A. O. R. M D CC XXVII.

Coll. diss. A
184, 29

84. A 184 (29)

~~5. XX. #6~~
~~XXVII. #5~~
#X. #1

IO. GEORGIUS LOCHII
THEOL. DOCT. ET PROF. P. V. P. ORD.
SENAT. ECCL. AST. ASSessor. TERT. OC. S.
P. R. A. P. O. S. S. V. I. O. V. E. I. A. M. O. R. D. I. N. I. S.
DECAN.

PROGRAMMA

DE

SPIRITV P. R. E. C. V. M.



AD DIGNAM P. R. E. S. T. I. P. E. N. T. E.

COSTANS C. E. L. E. B. R. A. T. O. N. E. M.

STVDIOSAM I. V. E. N. T. V. T. E. M.

IN ACADEMIA V. I. T. T. E. B. E. R. G. E. N. S. I.

P. V. B. L. I. C. O. N. O. M. I. N. E. C. O. N. O. R. T. A. T. V. R.

BY ORDER OF THE SENATE OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN
PRINTED AND SOLD BY
G. F. SCHNEIDER, BOOKSELLER AND PRINTER,
AT THE UNIVERSITY OF DRESDEN.



A est fidelium prae infidelibus dignitas, excellentia ac ὑπεροχή, ut ipse Spiritus sanctus in fidelibus esse, super illis quiescere, apud ipsos habitare, denique in illis manere atque operari non vno in sacris loco dicatur. Pertinet huc imprimis praeclarum illud

Pauli oraculum I. COR. III, 16. οὐκ οἶδατε ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐσθε, καὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. *An nescitis, vos esse templum Dei, et Spiritum Dei habitare in vobis.* Qui per in habitationem diuinum duntaxat afflatum, hoc est, motum animi nostri intelligi putant, a vera sententia longissime nobis videntur recedere: sic enim Spiritus sanctus non posset dici habitare in nobis, ut in domo, ut in templo. Amplius quid τὸ οἰκεῖν τοῦ πνεύματος, significat, in nobis scilicet inueniri ac deprehendi, in nobis cognosci per verba et opera sua, voluntatemque suam in nobis efficere, non aliter, quam paterfamilias in domo sua est, ibi inuenitur, ibi spectatur, ibi auditur, ibique omnia ad lubitum agit. Non errant, qui, ad tabernaculum ac templum Hierosolymitanum respexisse Apostolum, con-

tendunt Vti enim singulari prorsus ratione in his prae-
 sens olim erat Deus, eaque tanquam sedes sibi omnium
 suauissimas acceptissimasque inhabitabat, ita hodie fide-
 um quemlibet in suam sedem ac templum eligit, et excel-
 lentiori longe modo in animis eorum habitat per Spi-
 ritum suum Conf. I. COR. VI, 19. II. COR. VI, 16.
 Praeclare B. noſter LVTHERVVS Tom. II. Altenb. fol. 786.
 a. *Im neuen Testament haben wir keine Stätte, die Gott einge-
 setzet hat, sondern vvir selbst sind der Tempel Gottes, I. Cor.
 III, 16.* Si quid iudicamus, nemo inter interpretes empha-
 sin vocum ὄντων ἐν ἡμῖν, *habitare in nobis* melius enucleauit,
 quam MATTH. FLACIVS in Clauē Scriptur. S. p. 388.
*Totum inquit, cor hominis occupat Spiritus sanctus, atque
 illud ita inhabitat, vt omnia in eo, pro arbitrio suo,
 agat, potenter mentem hominis regat, gubernet, atque in to-
 tum inde hominem imperet.* Neque in animum solum sub-
 intrat diuinus Spiritus, sed corpus etiam hominis fidelis oc-
 cupat, idemque sanctificat, omniaque eius membra in-
 strumenta sanctae animae efficit, atque ad perpetuum bo-
 norum operum exercitium aptum reddit et idoneum, iux-
 ta I. COR. VI, 19. Ἡ οὐκ οἰδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς
 τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου πνεύματος ἐστίν, ὃν ἔχετε ἀπὸ Θε-
 οῦ, καὶ οὐκ ἐσὲ ἑαυτῶν; *Aut an nescitis, corpus vestrum es-
 se templum Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a
 Deo, nec vos esse vestri iuris.* Posita hac inhabitatione,
 ponitur etiam communio, inhabitantem inter et inha-
 bitatos intercedens, quam Paulus Corinthiis suis adpreca-
 tur II. EP. CAP. XIII, 13. Ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου Πνεύμα-
 τος μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν *Communicatio Spiritus san-
 cti sit vobiscum omnibus. Amen.* Idem cum Philippenses ad
 veram cordis humilitatem exhortaretur, per κοινωνίαν
 Πνεύματος iplos obtestabatur, vt monito huic suo locum a-
 pu-

pud se relinquerent, suumque ita gaudium explerent. In hac
 communionem qui viuunt, *θείας κοινωνοὶ φύσεως γίνονται*,
diuinae naturae redduntur participes, II. PETR. I, 4. non, quasi sub-
 stantia nostra in Dei naturam conuerteretur, utpote quae con-
 uersio horrendam gigneret *ἀποθέωσιν*, hominemque Deo
 redderet *ταυτούσιον*, sed ita, ut hominis essentia, secun-
 dum substantiam eadem manens, sed secundum qualitates
 mutata et innouata diuinae essentiae fiat similis, seu ima-
 go Dei in eo restauretur, et homo cum Deo in arctissimo
 sanctissimoque consortio uiuat. Praeterea in donorum spiri-
 tualium, inprimis sanctificantium, communionem veniunt
 fideles a diuino Spiritu inhabitati. Grauius et serio ad
 hanc communionem Ephesios admonet gentium doctor in
 epistolae ad ipsos perscriptae CAP. V, 18. *Μὴ μεθύσ-
 ηεσθε οἴνω; ἀλλὰ πληροῦθε ἐν πνεύματι*. *Ne inebriami-
 ni vino, sed implemini Spiritu*, hoc est, operam date, ut Spi-
 ritus sanctus magis magisque vos impleat cogitationibus,
 consiliis, notitia, sapientia, prudentia, studio, solatio, gau-
 dio, spe vitae aeternae, quae omnia Spiritus sanctus opera-
 tur. Haec ipsa plenitudo EPH. III, 19. vocatur *πληρω-
 μα τοῦ Θεοῦ*, plenitudo Dei. Quorsum referenda est o-
 mnis mensura Spiritus, quae fidelibus in hoc mundo contin-
 git. B. LUTHERVS hunc in modum eam explicat in glos-
 sa marginali ad h. l. *Da Gott allein in den Gläubigen regie-
 ret vnd würcket, vnd sie sein voll sind*. Et in postilla eccle-
 siast. part. aestiu. fol. 344. *Die Gläubigen werden voll Gottes über-
 schüttet mit aller Gnade vnd Gaben seines Geistes, der uns mutbig
 machet, vnd mit seinem Geist erleuchtet, dass sein Leben in ihnen
 lebe, seine Seeligkeit sie seelig mache, seine Liebe in ihnen die
 Liebe erwecke, kurtz: Dass alles, vvas er ist vnd vermag, in vns
 völig vnd kräftig würcke, dass vvir gantz vergöttert werden,*
nicht

nicht eine Parthey, oder allein etliche Stücke Gottes haben, sondern alle Fülle, dass alles, was sie reden, dencken, geben, summa, das gantze Leben gar Göttlich sey. Nec illud praetereundum, quod inter Spiritum sanctum inhabitantem et fideles inhabitatos etiam intercedat communio operationum. Liberum enim arbitrium ex fidei operante gratia spiritualibus viribus ita instauratur, vt, per eas, Spiritus sanctus ad renouationis actus cooperari possit. Quo respectu Spiritus sancti actio, qua iustificatum renouat, dicitur non amplius operans, sed cooperans gratia et adiuuans; siquidem isthaec non minus adhuc quidem operatur, quam antea; sed homo tamen vna ad cooperandum admittitur, instructus opibus collatis supernaturalibus; de quibus ratio reddenda est cum foenore, MATTH. XXV, 27. 29. LVC. XIX, 23. Tacemus amicitiam, quae, vi laudatae communionis, inter Spiritum sanctum interque fideles contrahitur. Tenerrimo enim amore hospitem sibi tam gratum tamque acceptum prosequuntur animae, quas hospitio suo dignatur, inque intimam eius familiaritatem peruenire student. Nunquam ergo non de eo cogitant, nunquam non per preces et suspiria cum eo colloquuntur, nunquam denique non magnalia eius enumerant, et alios etiam ad amorem eius pelliciunt ac inuitant, nec quicquam eorum omittunt, quae ad omnes amicitiae partes debite explendas requiri poterant. Inprimis vero ex illa cum Spiritu sancto communiōne hunc fideles reportant fructum, quod rite et ita, vti par est, orare discant. Quantum hoc sit charisma, is demum intelligit, qui eius vere particeps factus est. Non vna autem ratione ad pias piorum preces concurrat diuinus ille Spiritus. Et primo quidem ipsis significat, quod potestatem orandi manusque ad patrem caelestem eleuandi habeant, propterea, quod sint filii Dei, qui meritum Seruatoris sui vera fide apprehenderunt, sibi que proprium fecerunt; quod in nomine Iesu Christi orent;
IOH.

IOH. XVI, 23. quod a Deo patre tenèrrime amentur; ibid. comm. 27. quod idem preces illis commendauerit, imo iniunxerit et serio praeceperit; quodque vna exauditionem precum, quas ex puro corde fundunt, clementissime promiserit, PSALM. L, 15. IES. LXV, 24. Deinde *secundo* Spiritus Sanctus fideles ad preces instigat, suauiterque allicit, aperiendo illorum oculos, vt ab vna parte beneficium Dei erga suos animum, vi cuius nihil ipsis denegare potest, intimius cognoscant; ab altera vero parte suam pariter atque aliorum hominum miseriam et indigentiam, eiusque magnitudinem ac grauitatem, probe ponderent, indeque tanto feruentius orent, iuxta illud IES. XXVI, 16. *Ieboua, in ipsa angustia visitaauerunt te; fuderunt submissam orationem, castigatione tua prementem ipsos.* Quinimo pondus ac momentum bonorum praesertim spiritualium manifestat, quae illi per preces consequuntur, et quae sunt huiusmodi motiua alia, quibus pie afficiuntur, et ad debitam deuotionem excitantur. Facit *tertio* Spiritus sanctus, vt fideles orare velint, et non absque multa voluptate se ad precandum accingant, nihilque magis in votis habeant, quam, serie non interrupta, cum eo colloqui, in cuius amplexibus unice ipsis bene est. *Non enim acceperunt Spiritum seruitutis, (per quem ad orandum cogi deberent), sed Spiritum adoptionis, per quem clamant, Abba, id est, Pater.* ROM. VIII, 15. Add. PSALM. LI, 14. et PSALM. CX, 3. Quamuis propterea nobis non aduersaremur, etiamsi vel maxime affirmaremur, cogi quodammodo fideles ad orandum, tantamque necessitatem iis imponi, vt non possint non precibus semper vacare. *Quippe lex Spiritus vitae, qui est in Christo Iesu, liberauit ipsos a lege peccati et mortis, ROM. VIII, 2. Liberati autem a peccato serui facti sunt iustitiae. ROM. VI, 18. sibi que ipsis sunt lex ROM. II, 14. per quam ad orandum mouentur, impelluntur ac stimulantur, vt cum Apostolis dicere queant: Non possumus non loqui, ACT. IV, 20. Facile siquidem*

dem

dem intelligitur, coactionem hanc non esse violentam, nec
ipsis inuitis fieri, sed suauem, blandam et iucundam, cuius-
modi est sponsae, cogentis sponsum, vt tantisper apud se
perseueret, et honestis sermonibus suas imbuat aures.
Quandoquidem vero non tam ipsi fideles orant, quam
Spiritus sanctus in ipsis et per ipsos, hinc *quarto*
huic potius, quam illis preces, quas emittunt, adscri-
buntur, tanquam ipse eas perageret, emitteretque. Propter
hoc ipsum etiam vocatur Spiritus gratiae atque precum,
ZACH. XII, 10. Et Paulus GAL. IV, 6. Deum, inquit,
misisse Spiritum filii sui in corda fidelium Galatarum clamantem,
Abba, pater. Conf. ROM. IX, 15. Et Iudas IEPHIST.
comm. 20. fratres ἐν Πνεύματι ἁγίῳ προσεύχεσθαι,
in Spiritu sancto orare iubet, hoc est, vti GROTIUS h. l.
explicat, *dictante Spiritu sancto.* Nisi ergo Spiritus filii Dei
habitaret in fidelibus, inque cordibus eorum fiduciam filia-
lem operaretur, non possent Deum vocare *patrem suum,*
nec exauditionis precum suarum esse certi. Cum vero
praeter solum Deum nemo sit inuocandus, nec ad quem-
quam alium preces nostrae dirigendae DEUT. VI, 13. et
MATTH. IV, 10. etiam hoc *quinto* fideles edocet Spiritus
filii Dei, per quem in Christo, Dei filio, patrem caelestem
rite agnoscimus, et Abba nostrum clamamus, Deumque in
Spiritu et veritate inuocamus IOH. IV, 22. sqq. Arguimus: si
Deum nemo vidit vnquam, praeter solum unigenitum filium IOH. I,
18. Spiritus autem filii est Spiritus, qui in credentibus o-
rat, sponte sua sequitur, eundem Spiritum filii, qui etiam
est Spiritus patris, mentem, animum, naturam, indolem
ac proprietates eius omnium rectissime nobis manifestare, ne
quid inter precandum committamus, quo diuina ipsius maie-
stas et gloria laedatur. Variis praeterea cum infirmitatibus
quoniam colluctandum est fidelibus, a quibus ne inter oran-
dum quidem immunes sunt, quasque non sine ingenti animi do-
lore

lore tum quoque sentiunt et experiuntur, Spiritus sanctus neque tum iis deest, sed *sexto* infirmitatibus eorum succurrit, eosdemque subleuat. ROM. VIII, 26. *Συναντιλαμβάνεσθαι* est *auxilio esse*, vt Lvc. X, 40. et, per metonymiam, *solari*. *Ἀντίληψις* sustentatio est talis, qualis baiulorum, ac onera ferentium, vbi, quando sub iis fatiscunt, aut labascunt, a socia manu adminiculi et leuationis aliquid consequuntur. Si nesciant fideles, quid potissimum rogandum sit a Deo, tum Spiritus sanctus eos docet, quae bona, quae necessaria, quaeque vtilia sint. Si ignorent, quaenam ex duabus pluribusue rebus, pro qualitate circumstantiarum, sit eligenda, tum Spiritus sanctus id, quod optimum praestantissimumque est, reuelat, voluntatisque diuinae certissimos eos facit. Si ea petant, quae vel noxia sunt, vel minime expectanda, tum abstrahit animum et ad alia flectit. Si ignorent, quomodo orandum, et quae vera et genuina sit precum ratio, tum mentem ad preces format, vt orent, sicuti decet, in vera nempe fide, cum humillima miseriae et indignitatis suae agnitione, sine ira et dubitatione, sine dolo et mendacio, summa cum deuotione et resignatione voluntatis suae in voluntatem diuinam, in honorem, laudem et gloriam supremi Numinis, cum gratiarum actione pro exhibitis iam beneficiis: pro omnibus promiscue hominibus, ipsisque inimicis, pro Regibus et Principibus, siue fideles sint, siue infideles, imprimis autem pro fidelibus ac piis ecclesiarum scholarumque doctoribus, pro fratribus et sororibus, pro domesticis &c. in omnibus locis, procul tamen hypocrisi et adfectione, magna cum patientia et constantia, licet exauditio non statim sequatur, sed interdum ob varias causas differatur. Tacemus alia ad modum orandi porro pertinentia. Enimuero non pauca neque exigua sunt impedimenta, quae satanas, mundus et caro propria fidelibus obiciunt, vel, vt eos a precibus plane abstrahant, vel saltim

B

fer-

feruorem precandi imminuant, e. g. distractio nimia per negotia saecularia, ludibria profanorum ac impiorum hominum, &c. omnia haec obstacula *septimo* potenter remouet Spiritus sanctus, et, vt singula feliciter superent, ac inoffenso pede deinceps progrediantur, virtute sua efficit. Eiusdem est *octauo*, tentationibus resistere, quas inter orandum haud raro experiuntur fideles. Eiusmodi sunt sensus indignitatis nostrae, acedia spiritualis, summa Dei sanctitas et maiestas, dilatio exauditionis, denegatio eius, quod petimus, occultatio ac simulatio Dei, tanquam infestum ac odiosum erga eos haberet animum, multiplicatio et augmentum calamitatum, quarum vel mitigationem vel omnimodam ex iisdem liberationem, per tempus bene longum, anxie desiderauerunt. In ipsorum sane potestate non est, hos scopulos euitare, sed alliderent ad eos cum periculo vitae spiritualis, nisi Spiritus sanctus praesto esset, iisque robur ac vires concederet, per quas tandem eluctari possent. Tandem *nono* ipse Spiritus sanctus certo modo pro fidelibus intercedit. Conceptis verbis id ipsum edocet Paulus Rom. VIII, 26. sq. *Nos enim, ait, quod orare debemus, prouti oportet, non nouimus, sed ille ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus ineffabilibus; qui vero scrutatur corda, nouit, quod sit desiderium Spiritus, eo quod secundum Deum intercedit pro sanctis.* Legitima est argumentatio: Nemo pro semetipso intercedit, sed omnis intercessio, proprie loquendo, est pro alio. Non ergo h. l. de precibus fidelium sermo est, sed omnino de precibus, quas Spiritus sanctus pro fidelibus facit. Ita autem officio hoc fungitur, vt tanquam *παράκλητος* seu *aduocatus*, a patre et filio nobis datus, causam fidelium ad Deum deferat, eandemque coram throno diuino agat, modo nobis incomprehensibili, adeoque et ineffabili, maiestati tamen et diuinitati suae conueniente, Deum interpellat, vt, propter meritum Christi, vera fide adprehensum, eorum
mise.

misereatur, ex aerumnis ac tentationibus, quibuscum col-
luctantur, eos liberet, nec admittat, vt in angustiis suis succum-
bant, aut a recta fide deficient, sed vt tandem vincant et tri-
umphent. Denique *decimo* Spiritus sanctus fideles exaudi-
tionis precum suarum reddit certos, imo certissimos. Vti
enim preces illorum ad thronum Dei defert, ita responsum
quasi inde ad illos refert, idque vel durante adhuc oratione, vel
post eam iam finitam. Interdum quidem generales Dei pro-
missiones, in sacris factas, de exaudiendis suorum precibus
ipsis applicat, et, vt immota fide verbo veritatis adhae-
reant, serio edicit. Interdum vero propius accedit, ipsis-
que significat, decreuisse patrem in caelis, vel ea omnia
ipsis largiri, quae petierunt, vel in eorum locum
alia, iisque longe salubriora magisque necessaria conce-
dere, vel denique sub tentationibus atque calamitatibus,
quibus premuntur, gratia sua ita corroborare, vt appareat,
diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. ROM. VIII, 28.
Hinc interna illa laetitia, quam fideles haud raro inter oran-
dum, aut, postquam orare desierunt, in se sentiunt, quae
perfecto nihil aliud est, quam signum factae exauditionis
Conf. PHIL. I, 3. 4. Obliti fere essemus gratiarum actio-
nis, ad quam Spiritus sanctus fideles excitat, quando voto-
rum suorum se damnatos esse intelligunt. Bonum enim
ac salutare, iucundum et honorificum cum sit, occupari in
laudibus diuinis, Dominumque palam celebrare, et debita
cum reuerentia ac honore recensere diuina beneficia nobis
collata, neque hac in parte officii sui immemores esse finit
fideles, qui in illis habitat, diuinus hospes, sed eos ad grati ani-
mi declarationem perpetuo impellit, stimulosque iis addit,
vt sic demonstrent, quantopere se obstrictos esse credant
benefactori suo, insimulque ad plus postea dandum sic eum
inuitent.

Habetis, CIVES OPTIMI, quod diebus hisce fe-

B 2

stis

stis meditemini. Nostis, quod optimus Seruator noster, cum iam in eo esset, vt in caelos ascenderet, et in gloriam introiret, discipulis suis Spiritum sanctum promiserit. Nostis, quod fidem datam seruauerit, inque die Pentecostes, quum essent congregati simul, omnes eodem repleuerit. Nostis denique, quod paratus sit omnibus ac singulis caeleste hoc donum impertiri. Sed nostis etiam, quod *in malitiosam animam non ingrediatur sapientia, neque habitet in corpore, quod subiectum est peccato*, SAP. I, 4. Sanctus sit, ad quem sanctus diuertat, et ibi commoretur, Spiritus. VESTRVM igitur est, Spiritui sancto locum apud VOS relinquere, vt per veram ac seriam ad Deum conuersionem ita praeparemini, quo deinceps ad VOS venire, in VOBIS habitare, VOSque in templa et domicilia sua transformare queat. Sic enim diuinae naturae, ac donorum spiritualium reddemini participes. Sic fietis ἀγριοί και πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένοι, *perfecti et ad omne opus bonum perfecte instructi*. II. TIM. III, 17. Sic ad pias preces perpetuo excitabimini, quo charismate VOBIS nihil est vtilius atque salubrius. Agite igitur, adimplete spem, quam de VOBIS concepimus, vt habeamus, de quo laetemur, nobisque gratulemur. Illud adhuc a VOBIS contendimus, vt frequentes conueniatis in coetibus, vbi laudes Deo dicuntur, precesque pro impetrando precum Spiritu solenniter funduntur. Gratum erga publicos verbi ministros animum, vel nobis non monentibus, sponte VESTRA, liberali collatione, declarabitis.



Coll. Diss. A. 184, misc 29.